

00 000

294²
qm.

53
216

MEDICATIO PUELLÆ,
MORBO VIRGINEO
LABORANTIS:
Q V A M,
DIVINA ANNUENTE GRATIA,
SUB PRÆSIDIO
VIRI CLARISSIMI
D. HENRICI REGII,

Medicinæ Professoris,

Publico examini subjicit
BONAVENTURA COEGELEN à DORTMONT,
VIANENSIS.
Ad diem Novembris, loco, horisque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,
Typis Gisberti à Zijll, & Theodori ab Ackersdyck,
cI cI c. LIV.

*Admodum Reverendo, Magnificis, Excellentissimis, Nobiliſi-
mis, Experientiſimo, ac Consultiſimi Viris*

D. JOHANNI ADOLPHO KILMANN O
à KIELMANS ECK, Hæreditario in Satra-
pholm Obdorp, Jurisconsulto, Comiti Palatino Cef.
Sac. Rom. Imp. Exempt. templi Cathedralis Ham-
burgensis Pr̄eposito, nec non Serenissimi ac Celsissimi
Principis Seleswici ac Holsatiæ Consiliario intimo,
Cancellarioque aulico.

**D. HERMANNO MYLIO à GNADEN-
FELDT**, Jurisconsulto, sacræ Cæſareæ, nec non
Regiæ Majestatis Daniæ, Illustrissimique Comitis in
Oldenburgh &c. Consiliario intimo, Comiti Palati-
no, & judici Provinciali in Kniphausen.

**D. BALTHASARI COEGELEN à DORT-
MONT**, U. Medicinæ Practico, nec non Serenissi-
mi ac Celsissimi Slesweci ac Holsatiæ Principis Me-
dico,

D. JODOCO DE HUBERT, J. U. D. Pen-
ſionario & Secretario urbis Zirizæ.

*Dominis suis Mecanatibus, Parenti, affini, omni hono-
ris atque amoris cultu prosequendis, deveneran-
dis,*

Hocce chartaceum munus submisse offert
BONAVENTURA COEGELEN
à DORTMONT.

vii .o. cl clo

MEDICATIO PUELLÆ,
MORBO VIRGINEO
LABORANTIS.

24

I.

PUella annorum 18, frumentum crudum, cretam,
& arenam subinde edere solita, incidit in mensium
obstructionem, per tres menses durantem; accessit
faciei & labiorum pallor, totius corporis lassitudo,
ac hypochondriorum nonnunquam inflatio & intu-
mescentia. Palpitatione cordis & respirandi difficultate sepe etiam
afficitur; præfertim ubi scalæ sunt ascendendæ: ac præterea etiam
capite & ventriculo frequenter dolet.

III.

Afficitur in hac ægra uterus, quod ex mensibus obstructis; facies & labia, quod ex pallore; totum corpus, quod ex lassitudine; viscera in hypochondriis existentia, lien sc. & hepar, quod ex hypochondriorum tumore; cor & pulmo ac diaphragma, quod ex respirandi difficultate; ac denique caput & ventriculus, quod ex eorum dolore patet.

III.

Morbus, quo hæc ægra laborat, est pituitosa & serosa viscerum, sanguificationi & chymosi ac chylosi inservientum, intemperies, cum obstructionibus conjuncta; quæ pallorem faciei & labiorum, item respirationis difficultatem, ac cordis palpitationem, nec non hypochondriorum inflationem, & totius corporis lassitudinem in hac virgine inducens, *morbus virginicus & chlorosis* vulgo appellari solet.

IV.

Causa procatarctica hujus morbi est consuetudo illa, qua hæc puella frumentum crudum, cretam, & arenam subinde comedere solebat. Inde enim crassi & fœculenti in corpore ejus geniti sunt humores, qui ad uterum delati porosque ejus obstruentes, san-

guinemque ad menstruam evacuationem ineptum facientes, mensum induxerunt sufflaminationem, jam per trimestre spacium durantem. Pravi deinde humores, per menstruorum obstructionem in corpore retenti, atque ad viscera chylosi & chymosi atque hæmatosi inservientia delati, debilitarunt istarum partium calorem nativum; unde serosior & pituitosior in ejus corpore productus est sanguis, qui *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars vero ejus ad varias partes delata, variaque symptomata inducens, *continens* hujus morbi & symptomatum est causa.

V.

Nam serosi isti & pituitosi humores ad viscera, quæ jam commemoravimus, delati, *iis intemperiem jam dictam conciliarunt*. In faciem vero & labia per circulationem sanguinis pervenientes, *pallidum illis colorem* suo pallore excitant. In habitu corporis autem existentes, suoque pondere musculos gravantes & crassitie sua in cerebro justam spirituum animalium generationem impedientes, inducunt *totius corporis laßitudinem*. In hypochondriis verò nonnunquam rarefacti & in crassos vapores, qui satis commode, ob cruditatem & crassitatem suam, dissipari non possunt, dissoluti, excitant ibidem inflationem & distensionem hypochondriorum.

VI.

Dum verò subinde acriores quidam humores ad cor feruntur, qui cor vehementius & inordinatius vellicant, hinc oritur ex illa vellicatione per nervum sextæ conjugationis ad cerebrum delatâ, & poros ejus copiosius & inordinatius aperiente, inordinatus & vehemens spirituum ex cerebro in cor influxus, palpitationem siue inordinatum & vehementem *cordis* motum subinde efficiens. Effusi verò copiosius in pulmonum substantiam bronchiaque ibidem arctantes, præfertim ubi illi ex scalarum ascensu vehementius in pectore & visceribus vicinis agitantur & dilatantur, inducunt *respirandi difficultatem*, per scalarum ascensum ingravescentem.

Deni-

218

VII.

Denique, quia s^ep^e contingit, ut acres illi humores ad caput & ventriculum copiosius ferantur, illasque partes tum quantitate distendant, tum qualitate acri rodant, hinc conqueritur nostra ægra etiam de *capitis* & *ventriculi dolore*, ipsam s^ep^e molestante.

VIII.

Morbus hic periculosus est; cum totam corporis æconomiam pervertat, & hydropem, aliaque gravissima mala, s^ep^e inducat.

IX.

Diligente itaque *curatione* erit impugnandus: quæ in causarum ablatione, & intemperiei & obstructionum ablatione, consistet.

Primo itaque purgetur tali haustu:

R^x. elect. diaphanici, diapruni an. 3*β*.
aq. hord. q. s. Misce F. Haustus.

Postridie secetur vena, & sanguis è brachio educatur, pro ratione virium.

Postea utatur hoc apozemate, sumendo haustum trium vel quatuor nuciarum quotidie:

R^x. rad. aperient. 3*j*.
rubiae tinctor., eryngii, ireos,
enulae, falsparillae, capparum,
cort. citri fccor. an. 3*β*.
herb. nepitae, chamedryos, artemisiae, melissæ,
pulegii, matricariae, valeriana, an. m. ij.
summit. absinth. rom. fæniculi, sabinæ, an. p. j.
sem. carthami excort. 3*j*. apii 3*ij*.
flor. stachad., anthos, sambuci, genista an. p. j.
cicer. ruh. p. ij. fol. sennæ, 3*ij*.
decoq. in hydromelitis q. s. ad lib. j*β*.

& Coletur pro apozemate, aliquoties reiterando.

Convenientissimus etiam erit usus harum pilularum:

A 3

R^x. pil.

Rx. pil. de hiera ȝvj. agarici trochisc. ȝij.
gummi ammoniaci aceto dissol. ȝȝ.
salis gemmae, mastich, spicæ nardi an. ȝj. croci gr. v.
cum syr. de absinthio F. pilulae justæ magnitud,
Scrupulus unus sumatur horâ ante cenan.

X.

Corpore aliquoties expurgato, utatur quotidiè de his rotulis
mane jejuno ventriculo, superbibendo haustum vini albi:

Rx. chalib. præp. ȝj. cinnamoni, sem. anisi an. ȝij.
spec. diamoschi ȝj. saccari in aq. artemis.
dissoluti q. s. F. rotulæ, de quibus capiat.
ȝj. vel ij pro dosi; corpus deinde motu
mediocri exercendo.

Non negligantur deinde corroborantia, quale est hoc condi-
tum:

Rx. spec. aromat. ros. diagalangæ, an. ȝj.
diacumini, diacinnamomi, in an. ȝȝ.
conserv. ros. ȝj. conserv. melisse,
roris marini, absinthij an. ȝȝ.
confect. alchermes ȝij.
cum syr. de menta q. s. M. F. Conditum,
de quo sumatur castaneæ magnitudo, ante
singulos pastus.

Contra ventriculi & hypochondriorum inflationem ac dolo-
rem, & cordis palpitationem, utatur his rotulis ad ȝij. quantitatem:

Rx. rad. angelicae, ostrutii, rabarb.
cinnamomi, nucis, moscat.
macis, zedoar., calam. aromat. an. ȝj.
ireos flor., zinzib. an. ȝȝ.
nucis vomicae, dictamni albi,
pimpinellæ, cubebar., piperis long.
lapid. bozoar.
margarit. præp. cornu cervi usci & præp.
coralli rubr. præp. an. ȝȝ. croci gr. xx,

pulve-

pulverisentur omnia separatim, & misceantur cum saccari
albi in aq. ros. soluti 3 vj.
F. confectio in rotulis.

X I.

*In victus ratione aér ad calidum vergat. Cibi sint sicci, & facilis coctionis: conditi hyssopo, salvia, rotemarino, cinnamo-
mo. Panis sit bene fermentatus semine fæniculi & carui perfusus.
Potus sit vinum & cerevisia mediocrium virium. Motus sit mo-
deratus. Venus legitima maxime hic conduceit. Somnus etiam sit
moderatus.*

Corollaria Respondentis.

I.

Moderata venus virgineo morbo laborantibus permitte
potest.

II.

Res absurdæ, quas appetunt, his minime sunt concedendæ.

III.

Iuvenes pueris sunt calidores.

IV.

Menstrua per se non sunt prava.

Sæ

V.

Si fæmina cum pluribus consuecat, ex pluribus etiam conceperet potest.

VII.

Pili & unguis sunt partes nostri corporis.

VIII.

Nullæ partes corporis attrahunt alimento; sed illud nutritionis causâ in illas impellitur.

VIII.

Nihil potest attrahi, nisi rei attrahendæ fuerit affixum.

IX.

Respiratio fit solâ pulsione; nullâ aëris attractione.

X.

Motus muscularum sine valvulis rectè explicari inequit.

F I N I S.


00 A 6396



3

Sla





s ðij. diacappar. ʒβ. sem. urticæ, por-
is an. ðj. chalibis ppt. ʒβ. saccari dis-
risci q.s.F. Confectio in tabulis, pon-
nte pastum exhibenda.

adhibetur mane jejuno ventriculo
nis lineis, vel cum spongia magna;
eliloti, genistæ an. pj. summa. anethi,
j. sem. viticis ʒj. coq. ex æqualibus par-
ad 15ʒ.

tali inungatur unguento.

ior. an. ʒβ. rutæ, amygd. dulc. & ama-
ammoniaci, bdellij aceto dissol. an. ʒj.
ceterach, portulacæ pulv. an. ðj. croci

um M. T. L.

e, m.

ur t

ens:

, di

: ʒj.

Em

aper

Cib

nicu

r ex

in n

L

, pen

virg

uande

i nun

rgant

nti.

enam

it Ma

a certò

ugræ et

s non c

ephrit

N



53

MEDICATIO PUELLÆ,
MORBO VIRGINEO
LABORANTIS:
QVAM,
DIVINA ANNUENTE GRATIA,
SUB PRÆSIDIO
VIRI CLARISSIMI
D. HENRICI REGII,
Medicinæ Professoris,

Publico examini subjicit
BONAVENTURA COEGELEN à DORTMONT,

VIANENSIS.

Ad diem , Novembris, loco, horisque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,
Typis Gisberti à Zijll, & Theodori ab Ackersdijck,
cīc iō c. LIV.